N° 9

MVSARVM VOTVM & VATICINIVM.

Kalend. Ianuarij.

1620.

EDINBVRGI,
Excudebat *Andreas Hart.* 1620.

EDIMBARGI

1750.

ILLVSTRI
&
GENEROSO DOMINO, D. THOMÆ HAMILTONIO,

Comiti de *Melros*, Baroni de *Binni* & *Byres*, Magnæ Britanniæ Consiliario, supremo Senatus Scotiæ *Præsidi*, & *Secretario Regio*,

VOTVM.

QVo colat his Ianite, *Heros generose*, Kalendis,
Melpomenæ superat nil, nisi vota, meæ.
Ergo quid optabit? certè nec opes, nec honores,
Quæ tibi jam largo depluit imbre polus:
Virtutemne petet? frustra; nam splendida virtus
Hos amplos peperit & titulos & opes.
Ergo fatigabit votis mea Musa Tonantem,
Vt tibi mens sano in corpore sana siet,
Vt titulis opibusque diu & virtute fruare;
Teque frui possit terra britanna diu;
Et postquam multos felix transegeris annos,
Vt potiore solo tum potiare polo.



EX NOBILISSIMI Herois, Melrosii Comitis, Insigni gentilitio, cui *Laurus* Superposita, *Cardnus* Circumpositus, & *Symbolum inscriptum*, Praesto & Persto, *Vaticinium*.

Ecce coronantes generosa Insignia Lauros,
Ecce latus claudens Carduus ultor adest:
Hæc Rex signa dedit meritos testantia honores,
Nec sine divino numine signa dedit.

Præscia felicis tribuerunt numina sortis,
Quæ cluet æternùm Melrosiana domus.
Regia Melrosiis circundata signa, figurant
Fœdera, non ullo dissoluenda die:
Fœdera, quæ Regemque bonum, fidumque clientem
Sancta pace ligent: hic colet, ille teget.
Patris ad exemplum clari generosa propago
Præstabit Regi munia quæque suo:

Et niveo fulgens cornu candare, Parenti

Perſtabit *patriæ fida perennè ſuæ:*

Felicem ſic Præſtando, Perſtandoque, *ſemper*

Præſtabit *tutam regia dextra domum,*

Audeat ut firmam vis nulla lacesſere, donec

Sit, quæ ferre queat regia ſceptra, manus.

Sic chara & patriæ ſoboles, patriæque Parenti,

Regiſque & patriæ gloria rara cluet.

Inconcuſſa viret Laurus, *cùm fulmine honores*

Sylvarum cunctos decutit ira Iovis:

Concutiant alias quamvis fera fulmina turres,

Perſiſtet *ſtabilis* Melroſiana *domus;*

Rore & cæleſti felix ſaturata virebit,

Dum pendet virides Laurus *opaca comas.*

Sic Phœbi *cortina ſonat: ſic ſpondet* Olympus:

Hic & me vatem ſecula ſera ferent.

J. A.

ILLVSTRI
ET
GENEROSO
DOMINO,
D. THOMAE HAMILTONIO,
Comiti de Melros, Baroni de
Binnie & Byres, Magnæ BRI-
TANNIÆ CONSILIARIO.
Supremo Senatus SCOTIAE
Præsidi, & Secretario Regio.
ἱκετηρία.

FAMA refert, cernuntque oculis, tua cominus ora
Quêis, generose Heros, datur & tua facta tueri,
Incoctum tibi sic generoso pectus honesto,
Vt nequeas radiosa tui subducere vultus - - -

Lumi-

Lumina, cui blandè affulſit ſemel aura favoris,
Ipſe niſi vecors ſtultè præruperit almæ
Vincla clientelæ, tanto diſtricta patrono.
Hoc primùm inſubidè, nec longâ indagine luſtrans,
Pendulus hærebam, nec erat decidere promptum
Sorſne mihi magè fauſta cadat te nacta patronum,
An virtus magè clara tibi; ſed ſcindere nubem
Conceſſum eſt tandem, ſolers dum mente voluto,
A virtute tua, cœlo adſpirante benigno,
Et ſortem & columen rerum pendêre mearum;
Nec meritis quæſita meis tot larga favoris
Dona tui, læto virtus quæ depluit imbre;
Virtus, quâ PRAESTAS primus PERSTASque perennis.
Ergo, Heros generoſe, humilis ne ſperne clientis
Vota tui; ſolito ſervum quin reſpice vultu;
Quêiſque prior bonitate tua præveneris ultrò,
Proſequere officiis: laude & virtutis in omni
PRAESTANDO & PERSISTENDO tibi gloria ſurgat.
Auſpiciis, Vir magne, tuis mihi regia dextra
Protenſa eſt ægro: verum qui regia Quæſtor
Colligit æra, tenax obtuſa ſurdvit aure,
Regis & ad mandata ſui, verboque, ſtyloque

Tot

Tot vicibus repetita, mea atque ad vota precantis;
Quæ ſinit, ah duros, vacuas volitare per auras.
Non ſic de patriæ meruit mea cura Parente
Non ſic de patriâ: teſtor patriæque Parentem,
Et quos doctarum myſtas fovet aula ſororum,
Quaque viris claret doctis eſto ANGLIA teſtis.

Nunc igitur, generoſe Comes, cui Dædala Pitho
Seſſitat in labris, dederat cui provida Pallas
In medio ſplendere Patrum Procerumque theatro,
Plena inter ſtellas fulget ceu Luna minores,
Cui Themis & ſolio cedat veneranda verendo,
Dirige conſilioque tuo, auxilioque levato
Devotumque humilemque, tuo qui pendet ab ore
Vnius, atque tui Quæſtor qui ærarius audit
Eſſe patrocinii me tectum ſentiat umbrâ.
In facili labor eſt, verbo ad mea vota movebis;
Quippe viri molles aditus & tempora noſti:
Sin minus, imperium feret, & tua juſſa capeſſet.
Ferro ſit quamvis duro non mollior, illum
Aut Pitho, aut Pallas, dabit aut Themis ipſa ſequacem.

Tum

Tum raros mea Muſa tibi ſi fortè corymbos
Cecropiâ tellure queat, Latióve, ſacratis
Aut Solymæ ex adytis decerpere, ſerviet uni
Sacra tibi, & nitidam frontem redimire corollis
Geſtiet æternis, quêis iutertexta ſuperbè
Splendida pro claris fulgebit gloria gemmis.

Honoris virtutiſque tuæ

cultor devotiſsimus,

Io. Adamsonvs.

UNIVERSITY
LIBRARY
EDINBURGH